

can. 13. De virginum porro & viduarum, quae stipendiis Ecclesiarum aiebantur, incumbente Episcopis solitudine multa refert Chrysostr. lib. 3. de Sacerdotio, sub cuius postea Episcopatu Ecclesiam eximia sanctimonia decorantur Diaconissa Constantinopolitanae Ecclesiae, Olympias, Pentadia, Salvina, quae de primariis totius Imperii profapsi orate, & matris dignitate toto orbe praecipuis orbatae, distributis in egenos amplissimis opibus, sese paupertati, humilitati, & Ecclesiae obsequiis addidere. Neque vero hic omittendum alterum, praeter superius relata, Diaconissarum officium ex Hieron. epist. ad Nepotianum, scilicet aegrotorum cura & ministerium: *Multas (inquit) apus marit Ecclesia, & qua officium praebant, & beneficium recipiant ministrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat elemosina.*

6. Superest ut de harum ordinationibus differamus. Etiam si doctissimus Baronius ad annum Christi 34. n. 288. innixus, ut ipse autumat, Nicanae Synodi can. 19. scribat, nullam olim fuisse in Diaconissis consecrandis adhibitam manuum impositionem, alii tamen antiqui Canonibus manuum impositione solitas illas ordinari confirmant. Nicenus vero canon nihil istis obstitit. loquitur enim speciatim de Paulianistarum baptismo, quem declarat inanem ac irritum; & ut qui ex ista heresi convertuntur, novo abluantur baptismo; ac deinde, si ita visum fuerit, ordines eis de novo conferantur, quales in sua heresi indebite exercebant. Prohibet tamen conversas ex eadem heresi Diaconissas ad idem officium assumi, manusque ipsis imponi. Certe si eiusmodi tota Ecclesia vigeat disciplina, ne Diaconissa manus impositione subiret, supervacaneum esset id speciatim in Diaconissis, quae Paulianistarum haeresim professae aliquando fuissent, prohibere. Causa itaque hoc prohibendi ad praeteritam haeresim referenda est: Patres enim Niceni praecipue convenerant ad haeresim Arianam reprimendam in hoc cum Pauliniana conveniunt, quia utraque Christo divinitatem abrogabat. Quia vero praecipuum Diaconissarum officium in catechizandis feminis ad baptismum aspirantibus versabatur, grave periculum erat catechumenarum institutionem feminam committere, quae in haeresi ultra sexaginta annos (quod est praesupponendum in conversis Diaconissis) consueverit; & mutabile sexus ingenium causa plerumque est, ut earum fides vacillet post oppositam tot annorum professionem.

7. Juvabit quoque altera distinctio, si ad Canonem Nicenum respondeas, excludi quidem Diaconissas a Sacramentali manus impositione, qualis proculdubio censenda est quae in Diaconorum consecratione adhibebatur, non vero a mere caeremoniali quam praefata Concilia in Diaconissis discrete requirunt, praecipue Chalcedonense: cuius canonis versus Dionysiana, Graeco exemplari perfecte conformis ait, *Si autem postquam manuum impositione suscepta, &c.* Graecum exemplar sic habet *Si de quaquam tunc xerodiana, &c.* Si voce xerodiana uteretur, quae nunc suffragium, nunc electionem significat, res esset ambigua; sed vox quam adhibet xerodiana nihil aliud quam manus impositionem exprimit.

8. Deservente tandem pietatis ac religionis studio, & gliscentibus Diaconissarum vitis, deficiente pariter consuetudine baptismum in proveciorem aetatem differendi, paulatim exolescere cepit Diaconissarum ministerium. Siquidem sub ipso Leone I. habitum Araucanicum primum Concilium can. 26. de illis abolendis cogitans ita decrevit: *Diaconae omnimodis non ordinande. Si quae jam sunt, benedictioni quae populo impenditur capita submittant.* Quibus verbis eas quae supersunt in statu redigit vulgarem ac seculari. Deinde sub Hormisdas Pontifice Concilium Epaonense sic decrevit, can. 21. *Viduarum consecrationem, quas Diaconae vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, sola penitentia benedictione si converti ambiunt imponenda.* Demum Aurelianensis secunda Synodus, sub Joanne Papa secundo, ita ordinavit, cap. 18. *Placuit etiam ut nulli postmodum femine Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.*

DISSERTATIO III.

De sacris Virginibus.

1. Olim in Ecclesia duo erant Sanctimonialium genera, quae se perpetuae continentiae voto astingebant, scilicet Diaconissarum, quae viduae erant, de quibus superiori dissertatione abunde tractatum est; atque sacrarum Virginum. Tertull. lib. de velandis virginibus. Virgines utpote verecundiores, solitudini aptiores, & externarum rerum sollicitudini minus idoneas, a Diaconatu exclusas, testis est locuples: *Ad quam sedem*

(inquit) praeter annos sexaginta non tantum univire, id est, nupte aliquando eligantur, sed matres, & quidem educatrices liberorum: scilicet ut experimentis omnium affectuum instruere facile norint ceteras, & consilio & solatio juvare. Immo addit, quod ad monstrum esset, si virgo in hujusmodi statu constitueret. Quod vero superius de Diaconissis observavimus, fuisse illas habitu ca veste a laicis distinctas, hoc idem sacris virginibus pariter commune erat, ut addicimus ex Concilio Carthag. 4. can. 11. ita statuentis: *Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo Episcopo offerretur, in talibus vestibus applicetur, quibus semper usura est profectio & sanctimonia aptis.* Virginum sacrarum habitus erant pulla vestimenta, tunica, pallium, & cingulum; & capitis velamen: dicens Hieron. epist. 12. *Solent quaedam cum futuram virginem sponderint, pulla tunica eam indigere, & parvo operire pallio.* Idemque epist. 8. ad Demetriadem: *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.* Idem etiam ad Marcellam epist. 13. *Pulla tunica minus cum humi jacuerit sordidatur.* Et de cingulo ibid. *Cingulum lanceum & tota simplicitate purissimum, quod possit magis astringere vestimenta quam scindere.* Apud Concilium Nicenum actio. 4. Asterius ita refert de sancta Euphemia virgine, & martyre Chalcedonensi: *Astabat virgo pulla veste & pallio. Philosophiam professa.*

2. De sacro virginum velo sic Tertullian. de virginibus velandis cap. 15. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet quam semetipsam: etiam seminarum oculis pari non vult, alios ipsa oculos habet, confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus istius tentationum, adversus facula scandalorum, adversus suspiciones & seditas.* Hieronymus ad Demetriadem: *Scio ad imprecationem Pontificis flammam virginalem sanctum operire caput.* Quo etiam loco docemur, benedictione solemni solium sanctificari per Episcopum, & sacra virginis capiti velamen imponi. Ambrosius lib. 3. de virginibus. cap. 1. scribit de Marcellina sorore sua, fuisse Rome ad Sanctum Petrum, ipso Salvatoris natali die, a Liberio Papa consecratam virginem, cum proposito virginis ipsa vestis mutatione signasset. Crinum in virginis, aut viduitatis professione tonsonem, solemni fuisse in quibusdam Ecclesiis consuetudinis, in Syria praesertim, & Aegypto, testis est Hieronymus epist. 48. Quae tamen non ubique viguit consuetudo, cum scribat Ambrosius ad Virginem lapsam, cap. 8. solitos alibi tondere capillos in ignominiam, & delicti poenam, si lapsa virgo in penitentiam redacta esset.

3. Jam superest ut de virginum ordinationibus differamus. Adhibenda distinctio est quam satis evidenter Leo Magnus insinuat, epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, inquit. 15. inter propositum virginis cum habitu conjunctum, seu veste qua virginem professae amiciebantur, & ipsam consecrationem quo nullo alio quam ab Episcopo fiebat ritu. solemni. Ex testimonio enim ipsius Leonis mox adducendo, constat moris fuisse, ut virginatam professae non statim a vestitu, sed interposito longioris temporis intervallo consecrarentur. Et sane probabile est a nubili statim aetate, scilicet duodecim expletis annis, potuisse post spontaneam perpetuae virginis professionem religioso habitu indui, dilata in aliud tempus solemni consecratione. Sic enim refertur Episcopo Narbonensi Leo Magnus. *Puella quae non coacta parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginis propositum atque habitum suscepit, si postea nuptias eligant, praevocantur, etiam si consecratio non accesserit, cuius nique non fraudarentur munere si in proposito permanerent.*

4. Virginum Deo palam dedicatarum duo alia distinguantur genera: quaedam enim in parentum aedibus cum ipsis versabantur, cuiusmodi fuerunt Sancta Marcella, Eustochium, Principia, Demetrias: aliae in Monasteriorum septis religiosam vitam a personis secularibus sejuncta debebant. Quae primi generis erant, in communem Ecclesiam cum laicis ad sacra vel audienda, vel percipienda conveniebant, ad destinatum sexui femineo Templi medietatem, quae viris inaccessa erat: sed tamen sanctimoniales ejus partis locum penitenciam occupabant, Sanctuario viciniorum, laicas feminas a tergo habentes, etiam interposito septo sejunctas: ut ex Ambrosii epistola ad virginem lapsam colligitur cap. 6. Aliae quae in Monasterium secesserant, strictiori disciplina & clausura circumsepiebantur, neque ad eorum facellum ullus laicus aut religiosus etiam personis externis patebat aditus: cum esset facellum ac oratorium in Parthenonis seu Monasterii penetralibus intus: Sed probatissima vita Sacerdos mittebatur qui Missam intus celebraret, & Sacramenta ministraret. Monialibus, hac conditione seu praescripta lege, ut sacro expleto ministerio quam primum regrederetur. Concilium Epaonense sub Hormida Pontifice habitum has praescribit cautiones can. 38.

can. 38. *Monasteria puellarum non nisi probata vite & eratis provelte, ad quascumque earum necessitates, vel ministraciones, permittantur intrare. Ad faciendas vero Missas qui ingressi fuerint, statim exalto ministerio regredi festinabunt. Alias autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregacionem habeat accessum, nisi hoc aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere.* Eadem iterat praecautiones circa Missam, quae intra intima claustra in oratorio Monialium celebranda erat; posteriora Epaonensi habita Concilia sub Leone Papa tertio, & Carolo Imperatore Magno: scilicet Turonense tertium can. 29. Cabilonense secundum can. 16. Arelatense sextum can. 7. & sub Ludovico Pio Aquisgranense part. 2. can. 27. Nunc vero temporis Monialium Ecclesiae extra claustra edificantur, ut sit externorum ad eas liber accessus, statio autem Monialium & Chorus, ut sint externis inaccessibiles, claustris includuntur. Quod autem spectat ad eas virgines quae proprias parentum aedes incolabant, illustre praebet exemplum tres sancti Gregorii primi Pontificis amita; invicem sorores, Tarilla, Emilia, & Gorgonia virginis voto Deo consecratae, de quibus ita idem S. Greg. haec testatur homil. 8. in Evang. *Uno omnes ardore conversae, uno eodemque tempore SACRATAE SUNT sub disciplinae regulari degentes, in domo propria socialiter vitam ducebant.*

5. Consecrabantur ab Episcopo Virgines, per manus impositionem, & capitis benedictum velamen, non nisi ab anno aetatis quadragesimo, & ut in dissertatione superiori declaratum est, juxta praescriptum Conciliorum Chalcedonensis, Carthagenensis, seu potius Agathensis, Quinisexti, & Novellae Majoriani Augusti. Observandum tamen Concilio Carthagenensi tertio ann. 4. affigi Diaconorum ordinationem, & virginum consecrationem anno aetatis 25. Qui Canon habetur apud Gratianum capit. placuit ut ante annos: dist. 7. Concilium istud dico, non secundum, ut volunt Baronius & Binius, sed vere tertium, ut probat Labbeus. Et isto quidem speciali jure Africanae utebantur Ecclesiae Virginum consecrationis ab anno 25. Nam secundum Milevitatum Concilium hoc idem jus constituit, eandemque praescribit aetatem ad accipiendum virginum flammum: quin etiam plures allegat causas ob quas tempus istud praeveneri conveniat. Sic enim ejus can. 26. fanoitur: *Item placuit, ut quicumque Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiae virginis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur; vel si aliquo etiam mortis serupulo periculoso concepta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet) velaverit virginem intra viginti quinque annos aetatis, non ei ob hoc Concilium quod de isto annorum numero constitutum est. Qui canon isdem repetitur verbis in Concilio Africano can. 97. & in decreto Ivo-nis lib. 3. Citatus pariter in Concilio Turonensi secundo can. 20. anni 567. Cum etiam in Concilio Arelatensi secundo can. 32. excommunicatione feriat puellas quae se Deo devoverunt, & post ann. 25. ad terrenas nuptias sponte transferunt, argumento est in Gallicanis Ecclesiis consecrationem Virginum eodem aetatis anno fieri solitam, sicut in Ecclesiis passim Africae. Nam eadem pariter decernitur aetas in virginum solemni ordinatione, in Capitulari Aquisgranensi sub Carolo Magno. Quintetiam in Graecis Ecclesiis minor ad consecrationem hujusmodi aliquando concessa fuit aetas: Sanctus enim Doctor Basilus, in canonica & receptissima ad Amphilo-chium epistola, can. 18. ad eam ordinationem Virginum non amplius exigit quam sexdecim completos annos. Quam eandem designavit Tridentinum sacrum Concil. ad regularem utriusque sexus professionem. Synodus Trullana Quinisexta can. 40. jubet ut praescripto S. Basilii Virgines nulle ante XVII. annum velentur.*

DISSERTATIO IV.

De Ritibus olim Baptismo adhiberi solitis.

1. Baptismi tractatio aliis quibuscumque Sacramentis praemittenda est, cum sit & reliquorum Sacramentorum janua, & ad ipsam Christi Ecclesiam necessaria introductio; nec sine illo haberi possit anima salus, attestante salutis omnis auctore Christo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Est quippe baptismus nativitas ad supernaturalem vitam omnique sanctitatis primordium, & fons, ab aeterna morte traductio ad deiformem aeternamque vitam. Adeo ut Gregorius Nazianzenus, or. 4. ad sanctum Baptisum, non dubitaret istud tam necessarium & saluberrimum mysterium proclamare: *Τὸν τὸ θεῖο δάρον τὸ κάλλιστον & μεγαλοπρεπέστατον. Donorum omnium Dei pulcherrimum & magnificentissimum.*

Cabassarii, Historia Ecclesiastica.

2. Quaecumque nunc ceremonie Baptismo adhibentur, eadem omnes apud priora Ecclesiae saecula usitate fuerunt, catechismi, exorcismi, insufflationes, unctioes verticis, scapularum, & pectoris: quarum mysteria ab antiquis Patribus exponuntur; praesertim a Tertulliano tract. de Baptismo, adversus Quintillam; & a Cyrillo Hierosolymitano in catechesibus. Illinebantur pariter, sicut nunc, oleo sacro neophytorum aures & nares: quem ritum pulcherrimo sermone Augustinus elucidal, ut per hoc singuli fidelium admoneantur, aures quidem eloquiis perniciosius occludere; atque ad excipiendum bonum Christi odorem nares animi aperire, ut cum sacra sponfa post fragrantiam unguentorum ejus curamus, quoadiu vita nostra respirabit. Quae tamen olim oleo linebantur baptizandorum aures & nares, nunc salvia.

3. Aspirantes ad Baptisum, qui Catechumeni vocabantur, in duplici erant differentia, audientium scilicet & competentium. Circa competentes praecipua versabatur Sacerdotum cura: jam enim sufficienter fidei mysteriis imbuti, scriptisque eorum nominibus, preparabantur omni pietatis & penitentiae dispositione ad Sacramentum suscipiendum, & ad singulos ritus, & ad interrogata responsiones rite obdundas. Ad hos diriguntur Augustini sermones inscripti ad competentes. Ceterorum, qui auditores dicebantur, differabatur Baptismus ad tempora remotiora.

4. Licet autem Apostolica traditione receptum esset, ut infantes baptizarentur seculo etiam vite periculo, hoc tamen fiebat invito admodum Tertulliano, atque etiam vituperante: sed futili prolixo & inani argumento, dum cap. 18. de Baptismo ita conqueritur: *Cur festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum? Perinde ac si auctor iste Pelagio praecurrere, illiusque haeresim peccati originis impugnatricem praevertere studuisset. Tunc vero nulla precedebat catechesis, & ministri affimebantur ac sponsores qui pro puero baptizando responderent conceptis verbis. Tempora baptismi, citra necessitatis casus, praefinita erant sabbatis Pascha & Pentecosten praecedentibus, ut statuit Papa Siricus epist. ad Himerium Tarracoensem Episcopum cap. 2. Leo Magnus epist. 4. & 80. Gelasius epist. 1. cap. 12. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in sanctum Baptisum: in quartiduum praeterea diem assignat Epiphania: sed istud ad localem quandam consuetudinem pertinebat. Et Tertullianus diversique veteres canones diem excludunt Epiphaniae: ab hoc Sacramento, solaque duo Sabbata commemorata huic muneri assignant.*

5. Praemittebatur adultorum Baptismo peccatorum omnium secundum distinctas species ad aures Sacerdotis confessio, quae Graecis Exomologesis dicitur. Non enim pudori parebatur, qui nullus fuisset in generali & publica peccatorum confessione, qualem edidit Sacerdos sacram missam inchoans. Hujus rei testis sunt omni exceptione majores Tertull. 1. 6. de Baptismo cap. ult. *Ingressuros Baptismum (inquit) orationibus crebris, jejuniis, & gemitationibus, & per vigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam Baptisum Joannis; virginebantur, inquit, conscientes delicta sua. Nobis gratularandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines.* Hac Tertull. Quod idem testatur Cyrillus Hierosol. catech. 1. Gregorius etiam Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisum, cujus ista sunt verba: *μὴ ἀμαρτίας ἐξαποδοῦσα σε τὴν ἀμαρτίαν εἰς τὸ πῶς τῶν ἁμαρτιῶν ἐξαρπάξῃς, ἢ τὴν ἐλευθερίαν ἀίωνα, τὴν ἀθάνατον ζωὴν. ἐπειδὴ μὲν τὸ τὸ τοῦ θεοῦ νόμος, & δεῖξαι εἶναι τὴν ἀμαρτίαν ὄντως μυστικῶς, παραδειγματίζοντας αὐτὸν, & διαμεινόντας, ὡς ἀξίον ἕσται. Ne peccatum tuum confiteri grave dicas, sciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per istius vite pudorem, alterius vita ignominiam devites: ignominia enim, ejus quae in altera vita est, vix pars quoque est: notumque facias te serio atque ex animo peccatum odisse ac detestari, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, & de quo triumphum agis.*

6. Immediatè ante Baptisum denudabantur intra baptisterium catechumeni, viri a Diaconis, feminae a Diaconissis; atque quasi Christi athleta inungebantur ab hierarcha in tribus corporis locis, ut scribit Dionysius Ecl. Hierar. cap. 3. Quod intellige in vertice, in pectore, atque inter humeros: quam unctionem reliqui ministri prosequabantur per totum corpus. Diaconi videlicet in viris Diaconissa in feminis. Idem confirmat Cyrill. Jer. catech. mystag. 2. dicens: *Ἐτα ἀποδοῦντες ἐλάω ἡλίουθεο ἐπορίσῃ ἀπ' ἀκρῶν τριχῶν κορυφῆς, ἐστὶν χεῖρα. Deinde vestibus eximi oleo exorcizato uncti estis a summis capillis usque ad infima corporis.* Severus praeterea Alexandr. tract. de Baptismo, haec ait: *Educit baptizator baptizatum de medio aquarum, & dat eum sceptori suo, & ungit omnia membra ejus, & manus, & pedes & nares, cum demum induitur suis vestimentis.*